

No. 751. 1399. 12. Dec.

*P. Bonifacius IX. erneuert die dem Hochstifte bei dessen Gründung verliehene Exemption und verfügt, dass die Meissner Diöces ferner nicht den Erzbischöfen zu Magdeburg oder Prag, sondern dem römischen Stuhle unmittelbar untergeben sein solle.*

Bonifacius episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam. Sincerae devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Wilhelmus marchio Misnensis ad nos et Romanam gerit ecclesiam, promeretur, ut votis suis, illis praesertim quae ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum commodum statum et utilitatem ac honorem respiciunt, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti marchionis petitio continebat, quod licet ecclesia Misnensis, quae sub temporali dominio ipsius marchionis fore dinoscitur, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ab eius primaeva fundatione et creatione libera et exempta ac sedi apostolicae immediate subiecta fuisset, tamen postmodum eadem ecclesia archiepiscopo Magdeburgensi pro tempore existenti iure metropolitico primo et deinde archiepiscopo Pragensi etiam pro tempore existenti, qui legatus natus existit, iure legationis auctoritate apostolica per nonnullos Romanos pontifices extitit subiugata in ipsius marchionis displicentiam ac in grande ipsius ecclesiae Misnensis libertatis detrimentum et gravamen. Quare pro parte dicti marchionis nobis fuit humiliter supplicatum, ut eandem ecclesiam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, nec non clerum et populum civitatis et diocesis praedictarum ab omni dominio et potestate Magdeburgensis et Pragensis archiepiscoporum et ecclesiarum de novo eximere et ad pristinum statum et honorem reducere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus nec non consideratione carissimi in Christo filii nostri Wenceslai Romanorum et Boemiae regis illustris nobis super hoc scribentis inclinati, praefatam ecclesiam nec non civitatem et diocesim Misnensem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ac clerum et populum civitatis et diocesis praedictarum ab omni iurisdictione dominio et potestate, quibus archiepiscopis pro tempore existentibus nec non ecclesiis et capitulis Magdeburgensi et Pragensi communiter vel divisim, sive iure metropolitico sive legationis aut alias quovis modo subesse noscuntur, auctoritate apostolica tenore praesentium penitus eximimus et etiam liberamus, ipsamque ecclesiam Misnensem civitatem et diocesim nec non clerum et populum ipsorum sub beati Petri et sedis praedictae ac eiusdem ecclesiae Romanae atque nostram protectionem suscipimus, ac exemptas et immunes ac liberas esse volumus, nobisque et successoribus nostris Romanis pontificibus canonice intransantibus ac dictae sedi immediate subesse, ita quod archiepiscopi supra dicti ratione delicti seu contractus aut rei, de qua agatur, ubicunque committatur delictum, ineatur contractus aut res ipsa consistat, nullam in ecclesiam Misnensem, civitatem et diocesim, iura et pertinentia praedicta ac clerum et populum civitatis et diocesis praedictarum possint iurisdictionem potestatem aut dominium exercere, sed duntaxat coram dicta sede seu eius delegatis teneantur de iustitia respondere, felicitis recordationis Innocentii papae III., praedecessoris nostri circa exemptiones, quae incipit